

241

Handwritten text in Gothic script, partially obscured by a red and white striped border.



64

DECANUS
FACULTATIS BONARUM
ARTIUM ET PHILOSO-
PHIÆ

IN
ACADEMIA LIPSIENSI

Ad Actum
Renunciationis Undecim
Baccalaureorum

d. 18. Julii A. C. 1663.
solenniter celebrandum
Benevolos Lectores
officiosè invitat.

S.



DECAVUS
MAGISTRATUS FORARUM
ACADEMIA LIBERTIS
BACCALARIUS





BONARUM ARTIUM ac PHILO-
SOPHIÆ propria Facultati nostræ pro-
fessio est. Hunc titulum in Academiis &
Majores usurpaverunt nostri, & nos jus-
tissimâ hereditate ab illis acceptum pu-
blicè vendicamus, quoties veteris avi
memoriam renovare volupe est. Nemo
incuset inanem strepitum verborum,
quasi hoc pacto idem bis dicatur. Nam

quòd hodiè *Bonarum Artium* appellatio cum *Philosophiæ* voca-
bulo paria ferè facit: sciendum, olim non fecisse, cum illa æ-
tas Bonas Artes à Philosophiâ perinde distingueret, ut nostra
disciplinas *instrumentales* secernit à *principalibus*. Imo diu an-
te conditas in Orbe Romano, quas vocamus, Universitates
Scholasticas in veterum Græcorum pariter ac Latinorum
Scholis viguit hæc distinctio. Hinc Aristotelem *a)*, hinc Ga-
lenum *b)* tam diu *liberalibus disciplinis* innutritos legimus, do-
nec alter septimo decimo, alter decimo quinto ætatis anno
philosophari inciperet. De Latinis satis clara perhibent testi-
monia, ut alios taceam, Lactantius *c)* atque Augustinus *d)*.
Quas *liberales disciplinas* modò reddebamus, τὴν τὴν ἐλευθέρων παι-
δείας vocaverat Ammonius Aristotelicæ vitæ Scriptor, ἡ παιδείας
μαθήματα Galenus *e)*. Solebant enim his famulantiū doctrina-
rū studiis certo quasi *circulo cōprehensis liberi* civiū à *primâ sta-*
tim ætate ad Philosophiam *preparari*, ut Wovverio *f)* ac Vosio *g)*,
clarissimis Viris, observatum. Hinc istis artibus vocabula
τὴν ἐλευθέρων ὀπισθημῶν, τῆς παιδείας, προπαιδείας, πρώτων μαθημά-
των, κύκλος, ἐγκυκλίων τεχνῶν, ἐγκυκλοπαιδείας, aliaq; id genus
sexcenta passim indita reperias apud Scriptores Græcos. Quos
imitati latini *artes ingenuas, liberales, humanas, pueriles, primam*

A 2

disci-

a) in ejus vitâ apud Ammon. p. m. 7. ed. Nunnel. *b)* testis ipse λόγῳ περὶ τῶν
ἰδίων ἐπιστῶν Tom. IV. oper. græc. ed. Basil. 1538. f. 370. *c)* lib. III. c. 25. p. 253. *mul-*
tis artibus [liberales illas intelligi, quæ hic omittimus, produnt,] *opus est, ut ad Phi-*
losophiam possit accedi. *d)* II. de ord. 18. Tom. I. oper. f. 492. ubi cum de artibus
liberalibus disertim egisset, tandem subdit: *Excipit hanc eruditionem jam ipsa Phi-*
losophiæ disciplina. *e)* locis paulò ante citatis. *f)* c. 26. Polym. p. 229. seq.
g) c. 1. de philol. §. 7. p. 4. 5.

disciplinam, circulum disciplinarum cyclicas disciplinas, & similiter dixere. Non abnuo, liberalium disciplinarum nomine Philosophiam ipsam alicubi comprehendere, nimirum haud alio sensu, quam qui eas opponit artibus *illiberalibus*, h. e. βαυδσοις καὶ χειρωνακικαῖς. At verò quoties bonæ liberalesve artes à philosophiâ distinguuntur, scientias famulatrices, quarum elementa ipsis statim *pueris ingenuis* instillabantur, designari certum est. Loquendi hæc consuetudo non potuit non manare ad Academias, cum constet, harum doctrinam publicam initiò intrà solas illas septem disciplinas (quæ liberalium artium titulo etiam *Pictoribus* notæ sunt hodiè,) stetisse *b)*: Physicæ, Metaphysicæ, Philosophiæ Practicæ Professiones aliquantò seriùs accessisse *i)*. Ita quæ primò *Facultas Artium* *k)* simpliciter vocabatur, amplificatis postea eruditionis finibus *Artium ac Philosophiæ* salutari cœpit. Nota sunt septem disciplinarum *l)* nomina: nota in *Trivium* & *Quadrivium* *m)* divisio, illinc *tribus* artibus, Grammaticâ, Dialecticâ, Rhetoricâ; hinc *quatuor* scientiis, Musicâ, Arithmeticâ, Geometriâ & Astronomiâ, in classem peculiarem abeuntibus. Non æquè notum, quo primùm tempore *septem* numerari cœperint, historiam illam *Wovverio* *n)* & *Vossio* *o)* non prætereuntibus modò, sed alicubi & turbantibus. Sanè quòd accuratissimæ aliàs vir diligentis *p)* persuasum esse nobis cupit, *Latinorum de orbe disciplinarum* (intelligit *vulgatas septem*) *eandem ac Græcorum fuisse sententiam*, adeò non as-

fenti-

b) Vide *Antiquitates Academicas* summi Viri Herm. Conringii *Diff. I. p. 44. & III. p. 79. 80.* *i)* Jam tum avo Jo. Saresberienfis *Physicam & Ethicam* accessisse, doceri potest ex ejus *cap. 24. lib. I. Metalog. p. 58.* *k)* item *Artistarum, Artistica.* *l)* de quibus distichon: *Gram loquitur, Dia. vera docet, Rhe. verba colorat: Mus. canit, Ar. numerat, Geo. ponderat, Ast. colit astra.* *m)* *Saresb. I. Metal. 12. p. 29. de artibus liberalibus: hæc quidem omnes aut Trivii, aut Quadrivii ratione clauduntur.* *Quadrivii* vocem (*barbari & Quadrubium* dixere, quomodo planè legitur & apud *Saresb. p. 58. & 86. Metalog.*) primus eo sensu, quod sciam, usurpavit *Boethius* *l. Arithm. 1. non longè ab inir. f. m. 1296. & mox f. 1297.* Hoc exemplo postea tres artes *sermocinales Trivium*, & ab his scholæ *triviales*, appellari cœpta. *n)* in *Polymath.* quam vide *c. 1. p. 14. (conf. c. 22. in fin. p. 197.)* ubi tamen promittit integrum opus de omni studiorum genere. *o)* in libris de *4. artib. pop. de Philol. de scient. math. de nat. Log. de Philosoph.* quos omnes ex autoris consilio integrum *systema conficere singulorum exordia demonstrant.* *p)* *Voss. c. 3. de Philol. p. 22.*

sentimur, ut ex ipsis, quos citat q), Græcis alia omnia docere videamur posse. Nemo illorum r), ne ex Latinis quidem Quintilianus & Varro s), Logicæ seu Dialecticæ locum facit inter artes ancillantes: contra manifestissimè his exemptam ipsius Regina Philosophiæ partibus eam accenseret Sextus Empiricus in libris adversus disciplinas. Quos consentaneum est scripsisse juxta partitionem, quæ tum publicè esset receptissima: ut illorum temporum de hoc argumento historia non aliunde nobis possit esse certior. Clarè autem opus illud sic digere, ut Philosophiæ sex disciplinas præcurrentes faciat, Grammaticam, Rhetoricam, & quatuor illas Mathematicas; Philosophiam ipsam Logicam, Physicam, Ethicam circumscribat, apertè hinc (perinde ut in hypotyposeon libris) trimembrem illam passimq; decantatam secutus Philosophiæ divisionem, quam & Stoicæ familiæ cum Peripato ac Platonicis communem facit t). Ex his suspicari quis possit, & opus illud Sexti in novem potius libros, quam quod vulgo fit secta in duos libros Physicam, in decem tribui debere: & has ipsas esse novem disciplinas, quas totidem libris u), qui tamen interciderunt, executus est doctissimus Latinorum Varro. Hoc dubio caret, in illum τῆς ἑξαπαιδείας circulum sex tantum, non septem artes conjectas fuisse à Græcis, Dialecticam nondum huic ergastulo inclusam. Quam Plato certè in tantâ dignatione habuit, ut eam diserte omnium doctrinarum apicem (ἀκρον) celebraret vv), elogio veriùs in primam Philosophiam seu Metaphysicam competente x). Quamobrem & Aldus Manutius y) fallitur, cum inter Græcorum liberales artes Grammaticam Rhetoricamq; statim adjungit Dialecticam. Enimverò apud eam gentem ita res erat: Circulum liberalium artium (earum puta, quæ secundæ gradus Nunnesio z) liberaliores

A 3

Vossio

q) p. d. & præc. r) hi sunt: Philo, Clemens, Origenes, Synesius, Sextus Empiricus, Porphyrius. s) ibidem à Vossio allegati. t) adversus Log. f. 118, ed. Lat. Paris. 1560. Conf. Voss. c. 6. de nat. Log. §. 8. p. 20. u) de quibus Cassiod. Dialect. p. 53. Isid. lib. II. Orig. f. 50. Gell. X. I. XVIII. 15. Voss. de Philol. p. 22. w) VII. de Rep. f. 705. Add. Alcinoum in fin. c. 7. p. m. 472. x) unde Dialecticæ vocabulo pro Metaphysicam usum post alios annotarunt VVovv. p. 236. Polym. & Voss. p. 9. de sc. math. & p. 16. de nat. Log. y) II. de quæst. per epist. 9. apud Grut. Tom. IV. Lamp. p. 266. z) p. 54. 55. ad vit. Arist.

Vosſio a) audiunt,) auſpicabantur pueri apud *Grammaticos & Rhetores*. Hos ſolos in hâc re memorat Galenus b), de Dialecticis tacet. Quos ne Juliani quidem temporibus huic ordini acceſſiſſe probes ex Ammiano c), ubi narrat, quemadmodum ille Apoſtata vetuerit docere magiſtros Chriſtianorum *rhetoricos & grammaticos*. Quâ tempeſtate duos Apollinæres, patrem *grammaticum*, filium *rhetorem* veteratorios tyranni conatûs non parùm repreſiſſe proditû eſt d). Non alia apud Romanos vigit inſtitutio jam inde ab illis initiis, cum primùm amare literas cœpit Roma, uſque ad Chriſtianorû Cæſarum aliquò progrefſa tempora. Inde Svetonius de iſtibus *Grammaticis ac Rhetoribus* ſcribere potuit, de claris Dialecticis non potuit. Inde apud Quintilianum e), inde in reſcriptis Imperatorum f), quibus utriuſque imperii Scholæ ordinantur, de *Grammaticis & Rhetoribus* mentio crebra, de Dialecticis altum ubique ſilentium. Jam, ut ad vetuſtiores Græcos redeamus: qui ex inſtitutis Pythagoræ præſertim aut Platonis duci in adyta Philoſophiæ expetebant, ubi Rhetorû & Grammaticorû ſcholas eſſent egreſſi, eos ſubigi prius oportebat diſciplinis *Mathematicis*, quippe quas ad ſublimiorem ſcientiam veſtibili, viæ g) pontis, graduum, ſcalarum, anſarum inſtar obtinere ſciſcebant Magiſtri. Erant autem *quatuor* illæ, quas ſuprà memorabamus. Nec plures temerè, aut alias enumeratas invenies in ſcriptis avi antiquioris. Quin & Categoriæ Ariſtotelis (inventum, ut volunt, Pythagoricum,) earum veſtigia in *Quantitate* ſervant. Habes enim ibi objecta ſingularum: lineam, ſuperficiem, corpus *Geometriæ*; locum & tempus *Aſtologiæ*; numerum *Arithmetica*; *Muſicæ* orationem. Quod qui non animadvertunt, aut exteriticum opuſculum ad acroamaticas ſubtilitates exigunt, non mirum eſt, ſi nodis inexplicabilibus hîc impediuntur.

Ultrâ

a) p. 2. de art. pop. ut diſtinguantur à liberalibus gradu poſitivo dictis, h. e. à, *quatuor popularibus* Ariſtoteſi VIII. Pol. 3. memoratis, quæ ſunt: *Grammatice, Gymnaſtica, Muſica & Piſtoria*, quibus primum gradum Nunneſius attribuit.

b) *μηδὲ τῶν ἰδιωτῶν*. non longè ab init. Conf. locum Ammonii in vit. Ariſt. p. 7.

c) lib. XXII. p. 239. & lib. XXV. p. 316. d) Soerat. III. Hiſt. Eccl. 14. e) I. Inſt.

14. in ſig. II. 1. & alibi. f) apud *χαρτίων* Conringium de Antiq. Acad. p. 17. 22. 29. 61. item diſſ. ad I. I. Cod. Theod. de ſtud. lib. p. 14. 15. g) Hinc nata Boethii

vox *Quadrivii*, de quâ ſuprà lit. m.

Ultra Mathesin quicquid discebatur, jam non *αυτεδ* erat am-
 pliùs, sed *Philosophia*. Quam idèò, quia Practicâ sui parte duas
 artes, Theoreticâ quatuor *scientias* supergrediebatur, *Artem ar-*
tiùm, ac Scientiam scientiarum *m*) laudabant, hoc idem encomium,
 ut alia plura, unâ cum ipso *Philosophia* nomine καὶ ἐξοχλὴν tribu-
 entes interdum scientiæ entis quatenus ens *k*) hoc est, *Metaphy-*
sica. Imò tandem & *Dialecticâ* *l*): quod tamen magis est, ut
 per imprudentiam excidisse dicamus iis, qui & Platonem de-
 prædicandâ *Dialecticâ*, quam ipse quidem non satis à *Meta-*
physicâ discreverat *m*), amulari vellent, nec observarent inte-
 rim, hunc titulum non satis convenire arti, quam ipsi, secus ac
 Plato, ministram esse pronuntiarent, non Principem. Eadem
 Inadvertentia Johannis Tzetze *n*) fuit, cum in Catalogo septem
 ἐγκυκλίων μαθημάτων sui ævi pro *Dialecticâ* nominaret *Philoso-*
phiam: nam ὁ πολυμαθεύτης Vosius *o*), dum illud verbum Græ-
 culi rhapsodi & sensu proprio, & quasi ex mente Porphyrii pro-
 latum exaudit, bis fallitur. Joanne magis sapuerunt, qui, ubi
 reputassent animo, nobiliorem esse & *Philosophiâ* nostrâ *theo-*
reticâ doctrinam illam, quam de se Deus in Ecclesiâ revelavit,
 & *prædicâ*, sed in umbris manente, civilem illam ac forensem,
 quæ publico bono justitiam administrat: *Philosophia* nomen
 ad hæc ipsa sublimiora officia transfulerunt, Quod fecerunt
Theologi *p*), fecerunt *Jureconsulti* *q*): non tam nostrum nobis
 nomen

i) Ammon. ad Isag. Porph. p. 5; Damasc. c. 3, & 65. Dial. & alii Græcorum E Latinis
 vid. Macr. VII Sat. 15. Cassiod. Dial. p. 534. qui ἐπισήμην ἐπισημῶν vertunt *disciplinam*
disciplinarum. Nec infrequens Cassiodoro disciplinæ vocabulo pro *scientiâ* uti.
 Vide imprimis locum ejus p. 568. *k*) Pachym. lib. I. tit. 1. c. 2. *l*) Aug. II. de ord. 13.
 Psellus init. Synops. Org. ejusque suppilator P. Hispanus init. summul. *m*) Vid.
 Carpentar. part. I. ad Alcim p. 177. 179. Scherb. disp. II. §. 2. p. 10. & adde suprâ lit. X.
n) Chil. XI. n. 377. *o*) p. 21. de Philol. propè fin. ubi & malè ab init. pag. aliud
 insuper præter mentem Tzetze arguitur, incautè sequens Vovverium p. 16. Po-
 lym. *p*) φιλοσοφῆται apud Gregorium Theologum pro θεολογηται dici, no-
 tat Varinus in Φιλοσοφία, f. 1834. Hinc religionis *Philosophia* Salviano p. 73. contr.
 avarit. ubi vide Rittershus. p. 480. item VI. sac. lect. 13. p. 459. Apud Historiæ Eccle-
 siasticæ scriptores monachi passim dicuntur *philosophari*, & vita eorum *Philosophia*.
 Vide Tripart. f. 415. 449. 529. seqq. ed. Basil. 1513. Adde ipsum Jo. Tetz. Chil. X. n. 343.
 Garnefelt Bluc. sac. p. 190. Jac. Merl. annot. ad Bernh. f. 16. Pontan. Bell. Art. p. 424.
q) *veram* (nisi fallor) *Philosophiam non simulatam affectantes*, l. 1. ff. de Just. &
 Jure.

nomen eripientes (ab innocentibus enim invidiam abesse credimus,) quam distinguendi exemplum capientes à nobis. Appositè enim Clemens Alexandrinus r): *Quemadmodum, inquit, liberales, quæ stant in circulo, discipline conferunt ad Philosophiam, quæ est ipsarum Domina: ita etiam ipsa Philosophia conducit ad præcipuam Sapientiam: eam puta, quæ omnem humanam eruditionem transcendit. E disputatis hætenus facile est respondere ad quæstionem à Vosio s) magis indicatam, quàm decisam: cur & veteres olim Mathematicis ante Dialecticam imbuti fuerint: & hunc ordinem inverterit ætas posterior? Nempe illi Dialecticam, quod & Galeni t) confessione firmari potest, pro parte Philosophiæ venerabantur: posteri hæc dignitate exutam deprimebant in puerilium disciplinarum classem sermocinalem, hoc est, infimam, & eo pacto pro sex artibus liberalibus dabant septem: sicuti nos hodiè contrario ritu *Mathesin* ex instrumento fecimus partem Philosophiæ, Dialecticam interim in famulatio relinquentes. Adeò non regnorum tantùm, sed scientiarum quoque publicas conversiones notare licet. In istâ rei literariæ periodo quid rectè perperamve innovatum sit, deliberare hujus loci non est. Id agebamus, ut, quo temporis articulo Dialectica numerum artium liberalium augere, sacrumque adeò & præscis hæc ignoratum septenarium complere cœpisset, indagaremus. Quâ in re nisi fallor, hoc non absurdè statuere licebit, tum primùm id contigisse, cum decretum fuit in scholis, *Logicam sic esse Philosophiæ instrumentum, ut non simul sit pars.* Quod dogma uti certum est in Thebani Cebetis*

r) I. Strom. f. m. 59: Conf. VVovv. p. 231. 232. Polym. è Senecâ & Philone.

s) p. 19. de scient. math. t) loco, quem initio indicavimus lit. b. Narrat enim, quemadmodum se post comprehensas animo liberales artes duxerit pater ἐπὶ τὴν διαλεκτικὴν θεωρίαν, ὡς μόνη φιλοσοφία ἀσπάζοντα [lege μόνη φιλοσοφία ἀσπάζοντα] τὸν γέν. Unde simul patet, inter artes illas liberales in verbis præcedentibus non λογικὴν sed λογιστικὴν legi debere, planè uti est in alio quodam Galeni loco ap. VVovv. p. 23. Polym. & Voss. p. 61. de art. pop. nam quod Vossius ibi λογιστικὴν vertit *Dialecticam*, videlicet imposuerat illi (perinde ut Lud. Viveti p. 4. de corrupt. art.) translatio eorum qui in codicem hæc similiter corruptum incidissent,

betis ætatem minime cadere, 'cujus Tabulam' u) ex hac obser-
 vatione affumento aliquo purgare obiter possumus; sic mo-
 mentum illi dogmati suum paulò exactius alligare ut alias
 possimus, dabitur otium fortasse: nam in Vosio vv) non mul-
 tum est ad hanc rem præsidii. Neminem interim, qui Diale-
 cticâ in illum τῆς παιδείας κύκλον assumptâ septem artes libera-
 les constituerit, hætenus deprehendere valuimus vel antiquio-
 rem Augustino, vel clariorem. Quem & suâ serie enumerâsse
 uniuersas x), & peculiaribus voluminibus comprehendere
 singulas y) aggressum novimus. Hujus viri per Christianum
 orbem autoritas, simul attrahente, ut fit, deinceps alterum al-
 tero, facile permovere potuit insequentem ætatem, ut appro-
 batam ejus judicio hæc de re sententiam istam propagarent pu-
 blicè: consensu majore fortasse, quàm prudentiore; cùm in
 libris de doctrinâ Christianâ z), quos postea scripsit Episco-
 pus, haud pauca aliter edicere videatur sanctissimus idemque
 summi judicii Doctor, quàm illic fecerat κατηχέρου. Sed
 hæc exponere & totam de istis artibus historiam ad nostra us-
 que tempora deducere chartæ jam dum consuetos fines super-
 gressæ angustia non finit. Ad id veniendum est tandem cujus
 gratiâ tota hæc suscepta est scriptio.

B Bonis

u) ubi p. 30. ed. Hier. VVolf. Colon. 1596. τῶν ψευδοπαιδείας ἑρασμῶν hic po-
 nitur Catalogus: ποιηταί (hi passim idem cum Grammaticis habentur,) ῥήτορες, ἀλεκτρικοί, μαθητικοί, ἀριθμητικοί, γεωμέτραι, ἀστρολόγοι. Planè hic
 habes septem artium liberalium Magistros ad unum omnes: quos contemnen-
 dos videlicet innuit, quatenus in his, tanquam ultimo fine, consensendum
 purant. Atqui Cebetis ætas non amplius sex artibus numerabat. Er-
 gò, si reliqua servare placet, saltem Dialecticos hinc ejiciamus, exilio ipsis
 quidem minime probroso. Quanquam totum locum jam diu est cùm Viris
 eruditis (quorum quidam ipsum πίνακα prope damnarunt νοθείας,) suspe-
 ctum fecerunt sequentia verba, in quibus mentio Peripateticorum, qui Cebeti, vix
 est, ut innotuerint. Vid. Sam. Petit. IV. Misc. 4. p. 23. Cujus emendatio ingeniosa
 quidem illa est: sed huic nãvo nihil melius, quàm spongia, medatur.

w) p. 17. de nat. Log. §. 5. x) lib. II. de ord. c. 12. & seqq. y) vid. lib. I. Re-
 tract. c. 6. z) secundo in primis & quarto. Leguntur illi uniuersi initio Tom. III.
 Op. Aug. edit. Erasmi. Basil. 1569.



Bonis Artibus & Philosophiæ laudabilem operam impenderunt hæcenus, dignique, cum examinarentur, scholasticis diligentia præmiis, judicati sunt Juvenes humanissimi undecim:

I. CHRISTOPHORUS SCHRADERUS, Hallensis Saxo.

II. GODOFREDUS Richter / Chemnicensis.

III. DANIEL Müller / Theumâ Variscus.

IV. ADAMUS CLAUSIUS, Clebergensis Misnicus.

V. FRIDERICUS NITZSCHIIUS, Dresdensis.

VI. JOHANNES COLERUS, Ronnenburgensis.

VII. CHRISTIANUS STEYERUS, Gorlicensis.

VIII. JOHANNES HENRICUS HEMPELIUS, Stolbergensis.

IX. CHRISTIANUS Böhme / Ablassensis Misnicus.

X JOHANNES CYPRIANUS, Ravicensis Polonus.

XI. PAULLUS MÜLLERUS, Hamburgensis.

Hos crastino mane, quod DEUS' clementer fortunet, horâ octavâ in Auditorium Philosophicum introductos, primi gradûs titulo, quem BACCALAUREATUM vocant, more Majorum ornare decrevit Facultas nostra. A Vobis, Rector Academiæ Magnifice, Facultatum omnium Amplissimi Proceres, & quicumque hæc legentes vel addicti estis

estis Ordini nostro, vel illum certè & præclara ingenia benevolentiam complectimini, quantum fas est, universis contendimus, ut huic celebritati, non maximæ illi quidem, sed ingenuis tamen & crescentibus studiis non mediocriter hæctenus proficua, testes indulgere Vos & Arbitros velitis. Vigent adhuc apud nos iam inde usque à primis Academiae initiis deducti mores honestissimi. Atque ut in conservandis iis exstare aliquam diligentiam & elaborationem nostram cupimus: sic in illustrandis plurimum poterit præsentia Vestra, subindeque stimulat plures, ut aliorum exemplum in se quoque velint experiri. Nobis autem voluntas certe nunquam defutura est gratiam gratiâ & officiis cumulatè referendi. P P. propriè Dominicæ V. post Trinit. d. 17. Julii An. 1663.

Typis JOHANNES VVITTIGAN.



estis Christi nomine et per chartam in
vobis benevolentiam et compunctum, quantum ad
universalem concordiam, ut hinc celebrari non
ziam illi quidem sed ingenuis tantum & casti-
lis hinc non medicis hactenus profanis, se-
ter indulgere vos & adhibere vestra, ut
spu nos iam inde in qua prima Academia in
dedisti mores honestissimi. Atque ut in con-
vantiis in ex parte aliquid diligentiam & labor-
tionem nostram cupimus: sic in illudis plu-
mam potuit praesentia vestra, subinde hinc
labit plures, ut aliorum exemplum in se quos
vetine experti. Nobis autem voluntas certe nun-
quam delinere eligam, utis de officio cum
late referenda. P. R. propolis Dominice V. post
Trinit. d. 17. Julii An. 1683.

FRANCISCVS WITTICOR.

estis Christi nomine et per chartam in
vobis benevolentiam et compunctum, quantum ad
universalem concordiam, ut hinc celebrari non
ziam illi quidem sed ingenuis tantum & casti-
lis hinc non medicis hactenus profanis, se-
ter indulgere vos & adhibere vestra, ut
spu nos iam inde in qua prima Academia in
dedisti mores honestissimi. Atque ut in con-
vantiis in ex parte aliquid diligentiam & labor-
tionem nostram cupimus: sic in illudis plu-
mam potuit praesentia vestra, subinde hinc
labit plures, ut aliorum exemplum in se quos
vetine experti. Nobis autem voluntas certe nun-
quam delinere eligam, utis de officio cum
late referenda. P. R. propolis Dominice V. post
Trinit. d. 17. Julii An. 1683.



DD A 6358

ULB Halle 3
002 920 387




Sb.

Reho ✓ 1077

518






Handwritten text on the spine, including a prominent red letter 'P'.



64



B.I.G.

Farbkarte #13

NUS
BONARUM
PHILOSOPH
IPSIENSI
ndecim
CORUM
1663.
adum
tores

